



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

Fargna, Francesco de

Romæ, MDCCXVIII

Casus II. Argumentum. An Patronus possit præsentare se ipsum ad
Beneficium Ecclesiasticum per viam precum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72203)

habeat solum juspatronatus activum, etenim si Patronus respectu illarum habeat etiam juspatronatus passivum, & sit unicus poterit ad illas seipsum validè præsentare; quia præsentatio hæc non diceretur haberi originem à se ipso, sed ab ipso met Fundatore, qui eum ad illas vocavit. *Mans. consultat. 109. num. 15. tom. 2.*

ARGUMENTUM.

An Patronus possit præsentare se ipsum per viam precum ad Beneficium Ecclesiasticum?

SUMMARIUM.

- 1 An præsentare se ipsum per viam precum sit simoniacum, & num. 3.
- 2 Patronus potest præsentare se ipsum per viam precum; imò & ejus Procurator potest illum ita præsentare.

CASUS II.

QUæro in hoc Casu an Patronus præsentare possit se ipsum per viam precum ad Beneficium Ecclesiasticum.

- 1 Videtur dicendum, quòd non possit Patronus per viam precum præsentare se ipsum ad Beneficium Ecclesiasticum, seu supplicare Episcopum ut sibi conferat beneficium; hoc enim esset committere simoniam, & conferre aliquid spirituale pro temporali, nimirum beneficium intuitu precum, quod dici non potest, ut innuere videtur *Glossa in cap. tuam de etat. & qualit. verb. nullum prorsus ibi -- Non enim preces carnales debet respicere qui est Ordinator, sed tantum merita, & providentiam ordinandi; & ideo nota quòd cum quis eligitur, vel ordinatur, aut suis precibus intervenientibus, aut alienis; Si*

suis, dicunt quidam, & Hugo cum eis, quòd quantumcumque sit idoneus simonia committitur --

- 2 Verum hoc non obstante censeo Patronum, qui vellet suum de Jurepatronatus adipisci Beneficium, posse procedere per viam deprecationis, & supplicationis factæ Episcopo ut sibi conferat Beneficium. *Abb. num. 2. Gonzal. num. 2. Barbosa. num. 5. hic Lambertin. de jurepat. lib. 2. par. 1. quest. 8. art. 3. Rot. decis. 20. nu. 3. coram Celso, & decis. 363. num. 10. par. 9. & decis. 141. num. 5. par. 14. rec. Tondut. quest. benef. par. 2. cap. 4. §. 9. n. 29. tom. 1. Rot. in Derthonen. Beneficii S. Catharinæ 2. Aprilis 1708. §. Juspatronatus coram Polignac. & in Majoricen. Beneficii 1. Febr. 1709. §. Nullimodè adversante cor. R. P. D. Falconerio, & in Granaten. Cappellaniæ 27. Novembris 1713. §. Ea vivissima cor. eodem, imò & ejus Procurator potest præsentare Patronum per viam precum, ut fuit resolutum à Sac. Congregatione Concilii in Faventina præsentationis 10. Junii 1679. quo casu potest Ordinarius illum gratificando admittere; sed tamen ad id non tenetur ex debito. *Rot. dec. 430. n. 40. par. 9. tom. 2. rec.**

- 3 Nec ex hoc committitur ulla simonia, quia non præsumitur Episcopus in conferendo beneficium Patrono supplicanti pro se ipso se movere ex ejus precibus, sed potius se movere ob uniformandum se præsumptæ menti fundatoris, qui sicuti præ aliis ipsum Patronum prædilexit in reservatione jurispatronatus activi, ita justum, & congruum est, quòd Episcopus gratificet eundem Patronum, illumque aliis præferat in collatione beneficii, quando ipse Patronus non explet formalem præsentationem favore alterius, sed supplicat pro se ipso, juxta superius firmata *Can. IX. X. XI. Cas. VIII. n. 8.*